Cz... ... eccl.

(... ...ori)

Chrostkiewicz Jacobi Joan: Magister dolorum Christus patiens ad sepulchrum sacro Parasceves die ... promulgatus.

MAGISTER DOLORUM CHRISTUS PATIENS,

AD

Sepulchrum

Sacro Parasceves die,

In

INSIGNI COLLEGIATA ZAMOSCENSI,

Mæstissimis Auditoribus,

A

M. IACOBO IOANNE CHROSTKIEWITZ, Philosophiæ in Alma Academia Cracoviensi Doctore, in Zamoscensi Scholæ Poëseos Professore,

PROMULGATUS.

Annô, quô

Magno DoCtore hoC paX aXe reVerterat orbI.

Die 19 Aprilis.

Zamoscij Typis UNIVERSITATIS.

IN

Gentilitium Stemma

ILLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI
&
REVERENDISSIMI DOMINI.



Cernite: Rhinoceros prô Christi zelat honore,
Cornû lictorum fertur in arma celer.
Spectat si quis homo non fervet vulnere Passi,
Sævius ut cornû in pectore pungat eum.

ILLVSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO

&

REVERENDISSIMO DOMINO

D. ALEXANDRO

à

Pleſzowicę & Przędzel

FREDRO,

DEI & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopo Premislienſi, Domino Protectori Ampliſsimo.

M*AGISTRVM Dolorum CHRISTVM patientem, qualem dolenti in Paraſceve celebravi dictione, nullam ſecuriorem, quàm Tuam Sacri Præſulei Honoris cenſeo occupâſſe Cathedram* Illuſtriſſime Domine. *Quidquid enim in ſpatio Magni Tui Nominis exiſtit Divinum, ex omni parte ſecurum eſt. Sic equidem Tuæ curæ & ſolicitudini ſuprema inhærent Numina, ut continuò circa hoc altîs tenearis cogitationibûs, ne aliquis unquam in Illa etiam minimo criminis aſurgat auſu. Semper invigilas paratiſſimus, ut in his phanaticum corrigas errorem, qui intendunt Superis fieri perduelles. Excubatorem agis continuum, ut ſacra Divorum Nomina apud Te ſecuriſſimè hoſpitentur. Gentilitius Rhinoceros quovis tempore in celeri curſu eſt, ut tempeſtive occurrat genti; quæ eſt inimica DEO: erigitq;*

cornu acutum, ut hanc funditùs profligat laniando, aut compungat leniendo. In pectus mortalium, qui gravi errore oppugnant Superos, sæviùs agit erectô cornû, ut eos moveat ad pacem. Nec frustra: ubi compunctione ejus pænitet multos errorum suorum, quos dum reijciunt, DEO *efficiuntur amici. Sub hoc Rhinocerote de securitate nec dubitandum, qui non millies ex Martiali campo rediit triumphator. Hic sæpe sæpiùs erectâ unicorni alti sui capitis tubâ, sibi de hoste triumphum, sacris Deorum Imaginibus & populis securitatem occinebat. Dant documenta dictis olim terrestria, nunc Cælis locata* Numina Fredrovij; *quorũ primus* CLEMENS MIERZBO Episcopus Crusvicensis. *Hic enim oriundus ex Italia venit in Poloniam, ut Polonos ad sidereos instruxisset Polos, prima illis Christianæ fidei jaciendo fundamenta; quam fidem etiam Principi Polonorum* MIECISLAO, *priùs instillavit. Sed ne avulsô ramô defecisset alter,* Germanus Ejus Frater *cũ* PROCVLSO EPISCOPO Cracoviensi *Polonas venit in oras; qui Ecclesiæ DEI in duobus filijs,* NICOLAO & BOGVSLAO *erat proficuus, quibus Sacer Cracus Vavellus verticem suum acclinavit, ut in illlo* Canonici Cracovienses CANONE *Fidei, Religionis, vitæq; exẽplaris novis Christianis eminuissent. Accessit tandem tertius* DOBIESLAVS MIERZBO *etiam antiquioris sæculi Tuus Antecessor, ut ternione Virorum ex Italia, perfectionata fuisset in Fide Polonia. Nec tantùm perfectionem in Fide est & securitatem habuit Sarmatia per* MIERZBOVIOS, *ubi* DOBIESLAVS MIERZBO CASIMIRI MAGNI *nõ* minor Mareschalcus, *Theutonem elatum ita humo allisit, ut ipse celsior, Polonia securior evaserit. Aptiorem sceptro quàm scipiòni quis non dixisset* DOBIESLAVM? *si illum pro Aris & focis sub* REGE IAGELLONE *pugnãtẽ advertisset. Hic dum suo idiomate pacem proclamavit, etiam ex* MIERZBOVIO FREDROVIVS *proclamatus est. Magno suffunditur pudore calamus, nec ultrà audet progredi, dum purpurata* FREDROVIORVM *Nomina occurrunt*

illi

illi celebranda. Occurrunt nullis unquam sufficienter deprædicandi elogiis IOANNES *à* Niznow *Terrarum* Russiæ, ANDREAS *in* Pockovice Podoliæ Palatini FREDRONES; *qui in augustissimo Senatu maturô judiciô Catones, gravî consiliô eminebant Consi. Nec Lentuli, sed Celerino cursu cum summo studio stadium militare decurrebant. Hi duo fulmina belli* Scipiadæ, *quoties hostem profligaverunt, totiès sibi triumphum, Sacratis Dijs Ædibus populisq; securitatem comparârunt. Etiam* IOANNES *pro bellica dexteritate ante obitum Dux Exercituum proclamatus est. Magnæ Domûs Magna Columina* ANDREAS *in* Pleszovice Haliciensis, MAXIMILIANVS Leopoliensis, IOANNES Premisliensis, SIGISMVNDVS Sanocensis Castellani FREDROVII; *qui inexpugnabilia Ecclesia, Patriæ, & miserorum Castella fuerunt: ubi in eis* DEORVM *cultus, Civium amor, populorum affectus intacti residebāt. Tremit digitis scribentis dextera, dum auspicatur Filium tonitruum* IACOBVM FREDRO, Regentem, Cancellarium Regni, Succamerarium Premisliensem. *Verè* Iacobi *sortitus Nomen, ubi audaces hostium animos ceu tonitru sæpius terrebat & terebat. Ingerunt se imbelli calamo* MARTINVS, Pocillator Belzensis, SIGISMVNDVS Sanocensis, GEORGIVS Premisliensis Dapiferi, MARTINVS Subdapifer, ALEXANDER Pincerna Premisliensis FREDROVII; *quos magna virtus tàm pro Ecclesia, quàm pro Patria perennantibus inscripsit fastis. Viget fama perpetua* IOANNIS Podoliensis, IACOBI Camenecensis, RAPHAELIS Leopoliensis Succamerariorum, VALENTINI Venatoris Premislienses FREDROVIORVM; *quorum ultricem pro Honore* DEI *manum & sentiebant & timebant rebelles. Vivunt post fata superstites* IOANNES Iudex, VALENTINVS, STANISLAVS, GEORGIVS Tribuni Premislienses, ANDREAS Capitaneus Vstensis, RAPHAEL Legatus *ad Comitia Regni* FREDROVII; *quorum Heroica facta adorat libenter nostrum sæculum, gratô animô futura leget posteritas. Trahunt ab oblivione memoriam redivivi in igne Martiali* Phænices HENRICVS, GASPAR, ANDREAS, *ternio* IOANNŪ, STANISLA', PETRVS

TRVS

TRVS, LAVRENTIVS, *alijq; plurimi* FREDRONES; *quos Lucina incitatissimos armis animisq; ad bella educavit Viros. Hi enim fulmina hostium, confinium terrores, Patriæ salus, titulorum scopi, Ducum exempla eminuêre. Reticeo alios* FREDROVIOS, *non tamen* Illustrissimum & Excellentissimum Dominum VALENTINVM FREDRO, Pocillatorem Belzensem, AVVM Tuum Præsul Illustrissime. Valentinus *erat, etiam Herculeo robore valebat. Heroum* Phænix *de Patrijs assurgens cineribus, fortuna & Honor de illo contendere videbatur, donec pietas utriq; præriperet palmam. Vir erat antiqui moris nec tecti simulatione candoris, nec, quod rarissimum est, in magna felicitate supercilij elati. Liceat mihi adoratore calamo innuere* Illustrissimum & Excellentissimum Dominum STANISLAVM FREDRO, Castellanum Czerniechoviensem, PARENTEM Tuum Dignissimum. *Ad solam tanti Viri memoriam subrepunt gemitus, in uno Nomine casum totius Patriæ miserantes. Ille omnibus solus numeri pensabat damna, Domi subsidium, Foris ornamentum, Assertor Iurium, Arbiter consiliorum, Hector in prælio, Nestor in suffragio. Ita in omnes partes capacissimam dividebat mentem, ut in hoc uno jure meritò non unum sed plures amissos requiramus. Infert se numeroso virtutum stipata satellitiô pijssima* MATER *ex* Illustrissimo Sangvine Belzecciorum *orta, Magni quondam* PALATINI Podoliæ Filia, *Heroum, Heroinarumq; viva imago. Hæc ita erat virtutibus aucta, ut si ipsa pietas humana specie voluisset indui, & Nomen & vultum* Theophilæ *antetulisset. Quid in illa scilicet non Divinum erat? quam ipsa humanitas vicinam probavit Superis. In Majestate frontis nihil non Regium, præter Nomen. Maternum in subditos pectus sēper explicabat, non aliud erat illi subesse, quàm suæ parere felicitati.* Fratres Tuos Dilectissimos *altô veneror silentiô, quibus licèt fatalis cesserit cupressus, in* Tuo *tamen Fraterno pectore ut palma immarcescibiles revirescunt. Non aberrabit calamus ab* Illustrissimo FREDROVIORVM Nomine, *Si omnia propè primarum in Polonia*

Fa-

Familiarũ decora huc deduceret. Inprimis Sacrã Regum MICHAELIS ZAMOYSCIORVM, IOANNIS III SOBIESCIORVM *submissô calamô adoro Majestatem; de quorum Sangvine portionẽ Tua* Illustrissima Domus participabat. *Accedunt Tuæ Gloriæ etiam illi, qui gloriæ fastigium excesserunt, CZARTORYSCII, WISNIOWIECCII, RADZIWILII, KONIECPOLSCII, WARSZYCCII, POTOCCII, STADNICCII, LASZCZOWII, KORYCINSCII, DROCHOWSCII, DANIELOWII, RADZIEIOWSCII, GNIEWOSCII, WODINSCII, PIASECCII, ZOLKIEWSCII, ZEBRZYDOWSCII, ZBOROWSCII, ORZECHOWSCII, PIENIAZKOWII, GIDZINSCII, PRZEDWOIEWSCII, aliaq; plurima* Nomina *ut* Numina *colenda. Fastos condi necesse foret, si cuncta huc Nomina Sãgvinis vel Affinitatum conferrentur. Sufficit dicere, quòd in una* FREDRONVM Domo *tota videtur* Polonia, *in qua etiam spectabatur* Italia. *Quotquot decora* Domi Tuæ *sunt* Præsul Illustrissime, *quotquot à Magnis* Prosapijs *derivantur ornamenta, omnia hæc in* Te *suum compendium habent.Omne decus,quod à* Tua Illustrissima Familia *priùs Exoticus tandem Sarmaticus derivavit orbis, in* Te *eminet & ad summam gloriam augetur. Vix enim Te nascentem benigno respexit Latona vultu, protinus spem in herba porrexisti orbi, futurus pro Ecclesia* DEI *& Patriæ Triumphator. Neque enim priùs Tuam à Palladis contubernio adolescentiam avulsisti, quàm tanta in Te virtutis ac literarum messis adolesceret, quantam bono Patriæ Civi, & ut non temerè promittendo, sic præstando ex fide abundè sufficere, æstimares.Vt autem rarissimum est, Tuus tener animus, non præcipitabat se temeritate cogitationum, maturitas componebat mentem, atq; sic in graves sensus nunc colligebat, nunc diducebat prudentia, ut, quidquid cogitâsti sublime esset, quidquid dixisti, ponderosum. Et dum in Occidentalem pergebas felicissimus Europam,illæ Tibi Nationes applaudebant, quæ plerisq; alijs in vitia flecti cereisilludebant. Ibas per populos noscendus magis, quàm notitiã accepturus. In Patriam felicissimè redeunti, omnes Tibi Honores*

nores

nores obviabant. Primò Regni Referendarius, *tandem supremi* Tribunalis Iudex & Præsidens *eras, qualem sibi adusq; causæ mortaliū poscūt. Sēper æquitas perorabat, legūq; Sanctitas ibat in patrocinium innocentiæ, nec favor decernebat, sed justitia Te* Iudice & Præsidente. *Nimirùm æquitatis lance causam unicujusq; non favorem ponderabas. Regalem ita devicisti animum, ut Tibi in spolium cesserit Tyara. Affulsit Tibi Purpura, quam* Majores *olim Tui suo & hostiū tinxêre sangvine, Tu Tuis meritis concinnâsti. Aliàs virtute & meritis Tuis, gratiâ* Sanctæ Sedis Apostolicæ, *favore* Serenissimi AVGVSTI II. Regis Poloniarum *(cujus singulariter adhæsisti cordi) Episcopatum Chełmēsem suscepisti. Vix* Chełmæ *Præsuleô Pedô fultus stetisti, protinus Cathedram Chełmensem amplis fulsisti beneficiis; quæ perennes Tibi pensare grates extitit obligata. Sed ne tantùm uni Ovili bonus Pastor præesses, ad Diecæsem* Premisliēsē *feliciter processisti, in qua, sicut & in Chełmensi, nunquam virgam vigilantem à Tuo divertis Ovili; immo Tua cura tàm felix est circa Ovile & bonum Patriæ, ut eam nemo capere queat, quomodò sine corporis replicatione ubiq; præsens gigante animo Tuo omnia complexus es. Hæc Tua activitas extra captum omnium est, Tibi soli pervia, si dignè enarrari posset, Angelico conceptu opus est, si describi, non hæc exigua pagella, sed ampla librorum folia requiruntur. Proinde ego in silentium desino, nonnisi Tibi hunc, quem semper in Tuo pijssimo corde foves, sub titulo* MAGISTRI Dolorū *cū profundissimo cultu reddo; qui Tuo cordi patet, pateat sub magno Tuo Nomine universis. Ille utpotè* MAGISTER *aurea Tibi Saturni explicet sæcula, Ille te vigore salutis infractæ semper instruat, Ille ad suprema, quò Te virtus & merita vocant, promoveat Honorum fastigia, supplicibus urgeo votis.*

ILLVSTRISSIMÆ EXCELLENTISSIMÆ & REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ.

Devinctissimus cliens
M. I. I. C. P. D. P. P.

ORATIO.

AVt ex fonte lacrymarum orationis ducere exordium, aut mentem Cælo cognatã alto occupare ſtupore, aut in ipſo dicendi exordio obmuteſcere, hodie eſt neceſſe. AA. Quidni ita debeat fieri ? dum hæc univerſa, quæ modò acturus ſum, & copioſa planctuum Næniarumq; ſuggerunt argumenta, & in altum deducunt ſtuporem, & in mutos Memnones tranſmutant Oratores. Quis enim hodie gemina frontis ſidera in pluvioſas non mutaret Plejades ? quis denſos amaroſq; lacrymarum non demitteret imbres? quis mæſtã publicî luctûs non ageret querimoniam? quando Cæli terræq; Dominus, naturæ mortalis & immortalis Creator, Rex Regũ, Dominus Dominantiũ, DEVS Ter Optimus Maximus, in probroſam contumeliarum, tormentorum, & mortis enormiſſimæ progreditur ſcenam; quãdo CHRISTVS innocẽtiſſimus ad inauditã crudeliſſimæ paſſionis procedit actionem: quando Verbum æternum abit in ſilentium. Eheu eheu mortales! cur vagos per orbem oculos, iń lacrymarum non ſolvitis flumina ? cur vivo luctu, ac nimio ſingultu, obdurata cauſatorum tantæ enormitatis non mitigatis pectora? Nonne aliquid eſt, quod ad triſtes lacrymas & miſerrimũ non ducat Pathos ? Attendite attẽdite: vel potiùs diſcite ab illis rebus, quæ alioquin, ut doleant, ſenſum & naturam non habent; acerbiſſimè tamen dolent: & præ intenſo gemitu, diſrumpuntur aliæ, aliæ radicitùs ſedi-

 bûs

bûs ſuis convelluntur, diſcinduntur, obſcurantur. Quid dicam de Angelicis Spiritibus ? in quos nulla licet lacrymarum gutta, nulla triſtitiæ nubes ſvapte naturâ cadat, nunc tamen quaſi conditionis ſuæ atq; immortalis felicitatis lætitiæq; obliti, amariſſimè ſuper hominũ plusquã ferina immanitate plorant & lamentantur. Sanè conſpiratio, conſpiratio, quantam nullum ſæculum vidit unquam, quâ nullius hominis percuſſit percutietve ferocior aures, confæderatarum in exquiſitam carnificinã & cædem CHRISTI voluntatum, etiam de caucaſeis cordibus triſtem elicit querelam. Vtiq; nihil eſt in tota Chriſti paſſione, quod non cum profuſis lacrymis, non cum intimo ſingultu debeat proferri. Obſtupeſcite obſtupeſcite AA: Fons & Origo Lucis à filijs tenebrarum obſcuratur. Manus illæ, quæ effuſiſſimæ ſunt ad libertatem, impiorum funibûs conſtringuntur. Divenditur Theſaurus, catenatur Libertas, infirmatur Salus, plectitur Iuſtitia, mancipatur DEVS, in exhauſta nũmorũ aviditas rabida in Divinum ſangvinem agitur orexi. Ah ſceleratiſſime & infeliciſſime Iuda! siccine tradis Vitam, ut ipſe æternùm moriaris? ſiccine auri ſacra fame teneris, ut trigintâ argenteîs ad tot millia tormentorum tuum divendas Magiſtrum? Adeſte tam luctuoſo ſpectaculo lacrymîs ô Cæli terræq; oculi univerſi! adeſte cordium Delicio amorũ Amori ô Cælitum atq; mortalium pectora! Ecce Hic à cunctis derelinquitur, Qui recipit univerſos. Hic inconſutilî nudatur veſtimentô, Qui Cælum ſideribûs ornat, terram condecorat florum majeſtate. Hic inquam nudatur, Qui Regum capita pretioſo diademate cingit, dextras aureîs honorat ſceptrîs, Sagô purpureô auguſtos Principum humeros circumvelat. Obmuteſcite obmuteſcite Oratores: quando Verbo æterno ferrea manu imponitur ſilentium. Tunditur, flagellatur Dominantium Princeps, rerrarum Dominator, Cujus dexteram Cæſarũ Poliregia, Regum ſtephanomata, Imperatorum trophæa expaveſcunt. Hic denſô numerô vulnerum inſignitur,

Qui

Qui ab illa Cæli Regione ſucceſſit optimus Medicus. Nemo enim fulminantes flagellorum ictus, armata verberū agmina, inordinatos cædētiū ordines oratione recēſeret. Non patiuntur ſævi tortores Oratorū numeris ádſtringi, qui omnē cædendo numerū exceſſerūt. Naufragari in ſangvineo hoc Oceano, & ad infamē marmoris ſcopulū allidi orationem eſt neceſſe. Spinarum sentibûs & aculeîs, quibûs coronatur CHRISTVS, florida verborū venuſtas ſuffocatur. Hic ſub infami crucis fatiſcit mole, Qui totam orbis machinam tribûs digitîs appendit. Hic mortis nefandæ ſubit violentiam, Qui Vita æterna nuncupatur. Deficiente inter furentes Iudæorum æſtus Fontis vivi profluvio, etiam quævis eloquentiæ fluenta deficiunt. Erudita Virorum ingenia, roſeæ mellifluæq; Hortenſiorum mentes, ſub roſa omnia tenere videntur, quādo profundum Gratiarum Mare ab iracundo furentium pectorum æſtu exſiccatur. Lapis ſepulchralis CHRISTI omne ingenij obtuſum reddit acumen. Porrò quis hodie Tullius? quis Demoſthenes? ubi Æterni PATRIS conticuit Eloquentia. Proinde extra dubium ſit, quòd Oratoribus aut à lacrymis inchoanda dictio, aut mens in ſtuporē rapienda, aut CHRISTI paſſio altô ſilentiô adoranda. Sed quousq; tandem triſtis planctuum & ſingultuum querela Oratorum cruciabit voces? quousq; hæc metamorphoſis mentem humanam in tanto ſtupore morabitur? Itane à recolenda CHRISTI paſſione oratoria excuſabitur ſvada? itane acerbiſſima Redemptoris Noſtri actio, dum eſt vel maximè deprædicanda, profundô ſilentiô adorabitur? itane Salvatori Chriſto ex truculentiſſima Ejus tragædia, nullus ab Oratoribus formabitur titulus? abſit iſta opinio. Si enī DEVS HOMO ſudávit in Horto Gethſemanico, cur humana non debeant ſudare ingenia? ſi propter cruentas flagellorum vices proprio sāgvine purpuratus eſt, cur non fucatus verborum apparatus Oratoribus adſit? Acuti spinarum aculei, quibûs coronatus eſt, alta movere debent cogitationum acumina:

Propter nostram salutem extremis vitæ spiritibûs extinctus est, etiam testandi grati pectoris ergo, Oratorio spiritu debet animari dictio. Et dum alij CHRISTũ patientem Florum Principem, alij Florem in medicinam ægris mortalibus in Horto Gethsemanico decerptum, alij Speculum Increati Amoris, alij Solem in eclipsi sangvinea, alij rubrum Mare proprio diffusum cruore, alij aliîs dolentibûs venerantur titulis, ego MAGISTRũ Dolorũ incultô dictionis cothurnô, tenuiq; facundia ulterius venerabor, Permitte Doloriosissime cordis gaudiorumDator hunc Tibi à me titulum adhiberi. Non erubesce ad Nomen Magistri Dolorum, quoniam in tua passione docuisti mortales, quòd per dolores ad Cælestem Academiam debeant promoveri. Agnoscetis & vos A.A. CHRIST VM patientẽ MAGISTRũ Dolorũ, modotãtũ doloris atrocia vestras benevolas in audiendo non feriat aures, supplex imploro.

Plurima Scientiarum documenta calleant discipuli mortales, adhuc insipiẽtes sũt, si nesciũt eveniẽtes sustinere dolores AA. Nil enim proderit, quamvis aliquis ampla librorũ folia vastô absorberet ingeniô, si tantùm erit hujus inscius artis, quomodo furentes cruciatuum tolerandi æstus. Hæc est Christiano populo necessaria Scientia, hæc illi apprimè conveniens Sapientia, ut non ignoret assurgentes tormentorum sufferre tempestates. Quicunq; enim Christiadum didicit se esse patientem in doloribus, etiam ad Cælestem Academiam fuit Candidatus: Nemo Cælesti corona laureatus est, nisi ille, qui se priùs continuò exercebat in patientia, variosq; cruciatuum tumultus novit sustinere. Discenda vobis patientia discenda, qui anhelatis Cælestis laureæ fieri competitores. Et quòdsi talem requiritis, qui vos doceret patientiam ? à quo disceretis graves tolerare ærumnas? adest patientissimus CHRISTVS Dolorum MAGISTER, qvalis in toto sermonis tractu observetur. Initiãdus enĩ Dolorum MAGISTER, instruit toti Collegio Discipulorum splen-

ſplendidas obſonij dapes, in quibus, ut candidiùs in vota eatur, abluit pedes ſacer Competitor. Eheu quò ſe demittit immenſa Divinitas! Procumbit ad pedes Diſcipulorũ, cui ſũtCælipro ſcabello. Recubat ad veſtigia proditoris impij; qui ſedet ad dexterã Patris. Inclinat ſe ad Iudæ truculenti genua, Cui omne genu flectitur inclinatũ. A plãtis ſui capitis laureã auſpicatur Dolorũ Candidatus: & in fũdamẽto humilitatis ſtructurã cathedræ habere opinatur Expletis plusquã Regalibûs epulîs, lavatîs abſterſiſq; pedibûs Diſcipulorũ, progreditur in HortũGethſemanicũ futurus Dolorũ MAGISTER, ibi non ſpatiaturus, nec redolentes arborũ comas pro laurea ſpectaturus: ſed vitã humanã quæ periverat in horto deliciarum Paradiſo, quæſiturus In MonteOlivarũ altæ pacis ſymbolo mærorũ Cõpetitor in primo ſtatim ingreſsu ſternitur in terram: ut habeat documentum, quàm grave ſuper humerum Ejus futurũ ſit dolendum Magiſterij officium. Prima docendi auguria dolendo incipit à ſudore, notum faciendo, quòd ſemper Illi crudelis graviter incumbet laboris moles, antequàm finiverit dolorum lectionem. Stillat Illius totum Divinum Corpus elicitîs in terram ſudoribûs, non ut, ceu MAGISTRO Dolorum, viridis pullulet corymbus; ſed ut arbor inverſa homo, qui propter æſtum peccati marcuerat, denuò in vitam revireſcat. Stillat inquam idem corpus etiam ſudore ſangvineo, tanquam rubicundo pudoris colore depingeretur CHRISTVS, quòd plurès homines, qui etiamſi efficaci ſudore Divino refloruerint in vitam, futurum eſt, ut iterum ardore vitiorum areſcant in mortem, eheu perpetuam! Colligite mortales devota mente hos Divini ſudoris uniones & rubinos, ac pijſſimîs ponderate affectibûs, quàm pretioſiſſima ſalutis humanæ reparatio; quæ non Cræſi opulentiâ, nec Midæ divitiîs, aſt gemmîs & carbunculîs inæſtimabilibûs ſudoris Sangvinîſq; CHRISTI incipit reparari. Iam approximat cum manu ſatellitũ traditor Iudas: jam indigitat CHRISTVM Dolorum Candidatum: jam ignea pompa funa-

 lium

lium elucescit. Relinque umbrosas patularum frondium crines Lucis Fons & Origo: relinque densas crispantium arborum comas, doctrinam dolorosam Tui ipsius exemplô professure: ex odorato floribûs & herbîs viridario progredere in publicum. Et quamvis Dolorum Candidatus non recuset lauream, rigidi tamen funes trahunt; quamvis non abnuat Dolorum MAGISTER audiri, nihilominus restes captant & catenæ. Nec deliberat, liberas tamen non habet manus; vincitur, captivatur, stringitur, ligatur Sanctissimus MAGISTER: ut nos discipuli mortales gravibûs catenîs in æternam solvamur libertatem. Neq; procedit cunctabundo passu, trahitur tamen, & ducitur festinanter. Sed quò quò pergitis errorũ cohors? itane ad mortis supplicia properatis, qui perennem ducitis Vitam? itane ab orbita justitiæ deflectitis, qui rectissimam Viam præ manibus habetis? itane mendaciorum aditis loca, cùm præstò sit vobis Veritas? Sistite præcipites furiæ, sistite dementes animæ. Sed quid eos inanibûs detineam verbîs, qui Verbum tenent Incarnatum. Nihil soluta dicendi facultate curant, postquàm se tam malevolô studiô Verbo ligando addixerunt. O durum proditoris pectus! cur non plecteris? ô scopulosa rupes! cur non frangeris? ô immanissima bellua! (te scelerate Juda verbîs impeto) cur non mitigaris? ad gravissimũ dolorum Magisterium DOCTOREM Doctorum MAGISTRVM Magistrorum prodidisti. Graditur jam MAGISTER Dolorum per angustos viarum tractus, ut homo de angustia perpetua egrediatur. Fœdissimô lutô repleta via, quâ pergit est, ut lutosum peccati deleat errorem. In Sacratissimam prosternitur faciem, ut larva scelerum vultum mentis humanæ cooperiens discutiatur. In conspissata duræ telluris gleba, solidum Sanctissimo MAGISTRO nefandæ crudelitatis instituitur argumentũ. Proteritur impiorum plantîs, ut planta vitæ humanæ ex agro tribulos & carduos germinante, in agrum selecti frumenti transferatur. Truditur in currentes Cedronis

aquas,

aquas, ut turpis vitiorum nostrorum labes abluatur. Catervatim hàc illàc trahitur cum summo plebis furiosæ ludibrio, ut gaudens nostra perditione inimicus eludatur. In irreligiosas Pontificum violenter detruditur januas, ut quantociùs recludat carceris postes mancipijs exituris. Tunditur, vellicatur, pungitur CHRISTVS innocentissimus, ut per hanc puncturã, aculeus mortis æternæ animabus infixus mortalium depromatur. Quis dignè cætera nefariæ & execrandæ comprehensionis raptationisq; hujus indicia? quis truculentam speciem exhibeat? Ipsi Pontifices in suis aulis tractant impijssimè CHISTVM innocentem; ubi blasphemias, anathemata, execrationes, adjurationes, plusquàm viperinum fel, plusquàm bilem Cerberi evomunt amarissimam. Quid ad ista innocentissimus IESVS? monstratne se pro tanta malitia indignabũdũ Põtificibus? moveturne ad vindictã pro tãtis eorũ ausibus? minime: omnes istas nequitias, omnia hæc cõtaminato prolata ore, mansvetissimè tolerat sustinetve; ut & nos doceat evenientes sufferre dolores, & Ipse Dolorum MAGISTER videatur. Defigite immotas admiratione mentes defigite ; perspicaces oculorum pupillas in Dolorum vibrate MAGISTRVM: quàm continuîs variîsq; doloribûs agitatur. Iterum atq; iterum sternitur in terram, seu potiùs MAGISTER Dolorum funestissimos recitat casus, ut lapsa natura humana Illius casibûs elevetur. Accusativus casus MAGISTRO Dolorum gravis est, nam licet omnia juxta regulas veritatis proferat, nihilominus sæpiùs accusatur: ut nos mortales excusemur. Nostra enim est actio, nostra sunt crimina, nos debemus accusari, nos meritas luere pænas: CHRISTVS sine deliquio, sine causa hæc omnia patitur innocentissimè. Mirari vos debeo Pontifices, sapientes estis, eclipsim vestræ rationis non cognoscitis : seu potiùs aposiopesim dixerim; quia rationis homini necessariæ in vobis defectus est ; vbi vesano furoris æstu impediti, ad ulteriorem tormentorum sævitiam progredimini. Ver-

 bum

bum absolutum infinitumq; Quod à vobis debet omnino sciri, ignoratis: immo hoc Verbum, Cujus participia seu de Quo participantes vitæ & omnium bonorum estis, apud vos video obsolevit. Hæc tantùm vestra heu stultissima sapientia est! quod Verbum æternum activum, per Quod omnia facta sunt, crudeliter vertitis in passivum. Versatur enim in pedibus MAGISTER Dolorum non creticis, sed criticis; non molossis, sed molestis; non bacchijs, sed barbaris; alijsq; plurimis lutulentis; quibûs atrocissimè conculcatur: ut mors æterna in melius sequacium Ejus proteratur. O plurimùm excessivi pedes! utinam ante hoc immanissimum scelus contabuissetis! utinam vos priùs dirus carnifex læthifera bipeni abscidisset! antequàm CHRISTVM innocentissimū nefasto & temerario ausu conculcâstis. Quid ultra? en sævissimi tortores MAGISTRVM Dolorum æstuant desideriô videre roseum Arpinatem; ubi Eum ferratîs palmîs, cædibûs truculentîs gaudent cruentari. Deturpant Lucis æternæ Candorem tenebriones conspuendo. Quid illis non ad gustum est, quòd conspuunt, patientissime IESV? forsitan hoc, quòd MAGISTER es, tamen Tè pro tàm audaci & nefasto scelere fulminantem in illos nō demonstras Periclem. Satiùs ignivomîs fulminum ictibûs, non silentiô coram illis utendum est. Quodsi servabis silentium, etiam plura gravium tormentorum senties argumenta. Minimè dat locum persvasioni MAGISTER Dolorum; sed ut talis comprobetur, omnes cruciatus mansvetissimè vincere paratus. Leviora hîs & aliquantulum meliora est audire animus. Noctem agito insomnem, in qua CHRISTVS sic defessus & opprobriîs saturatus, in tenebrosum ducitur carcerem, ut animæ expectantes de carcere tenebrarum educantur. Sed aliter dicam: tanquam ex Divina Mathesi MAGISTER Dolorum in *celarent* formato magnæ nequitiæ oppugnatur argumentô; ubi in celario velata sordidô linteolô facie (in quā desiderāt Angeli prospicere, in qua Æterno

com-

complacuit PATRI, quæ Cælum ſerenat intuitu, cujus viſione immortales genij Electorum beatificantur) furialibus alapis toties ac toties ſæviſſimè impreſsis, per extremam gladiatorum facem divinare jubetur authores, qui ſe percuſſerint. Exhorreſcite exhorreſcite AA: quàm innocētiſſimè impijſſimè Sāctiſſimus MAGISTER formatis in *celarent* inſeſtatur diræ ſævitiæ ſpeciminibus: quādo à Iudæis vulneribus, ſannis, ludibrijs, ſputis, ſordibus ignominioſè concutitur, exagitatur, conſpurcatur. Recludc mentis oculos exquiſitorum cæcitas, & in *celarent* diſpoſitum videas argumentum. Nullus impius Sanctiſſimum deberet fædare MAGISTRVM; omnis verò Iudæus impius eſt: etiam nullus Iudæus debuerat Sacratiſſimam CHRISTI Majeſtatem ſputis & ſordibus deturpaſſe. Poſt tot & tanta inhumaniter confectæ noctis, tormentorum, & ludibriorum argumenta, compatriotæ Iudæi, plurima turba verſipellium, rabularum, leguleiorum inſtant ferventiſſimè: ut Iudex Pilatus diris cruciatuū indiciis quā maximè impugnet MAGISTRVM Dolorum. Agnoſcit quidem Arbiter juſtitiæ Pilatus indignum doloroſo titulo MAGISTRVM Sanctiſſimum; favore tamen & gratiâ Cæſaris devincitur, ad nefariam Iudæorum inſtantiam jubet extra numerum formatis in *ferio*, quià verberum argumentis oppugnare CHRISTū innocentiſſimum. Hic avertite oculos á ſæva barbarie AA. Denudatur omnium Velator ſuo inconſutili veſtimento MAGISTER Dolorum, Magiſtralem fortaſſis veſtem accepturus. Indues CHRISTE Togam purpuratam, non alterius vermis, niſi ſangvine Tui ipſius, ut de Te dixiſti *Ego ſum vermis et non homo* ineſcandam. Alligatur marmoreæ columnæ MAGISTER Dolorum, ut alij ligati caucaſo perpetuæ infelicitatis mortales diſsolvantur. Ne genus humanum æternæ crudelitatis experiatur documenta, CHRISTVS patientiſſimus ſupra modum barbaræ immanitatis in *ferio* oppugnatur argumentis; ubi acribus verberibus, ſpineis virgis, hamulis, aculeatisq;

ſcorpionibûs, adextremùm catenîs & cæſtubûs ab imo ad ſummum cæditur, convellitur, diſcerpitur, laniatur ſruſtratim, carpitur Virgineæ carnis,(quâ DEVM humanus veſtivit amor) puriſſimum indumentum. ſed ſiſtite rabie occupati tortores, & argumentum meliore judicio in *ferio* diſponite. Nullus virtuoſus puniendus eſt; CHRISTVS enim omni virtutum ac perfectionum genere conſumatiſſimus eſt: etiam tàm diriſſimis flagellis nō eſt puniendus. Vos verò mortales auribûs internæ mentis attendite: quàm copioſiſſimè innocuo ſangvine perorat MAGISTER Dolorum, ut vobis roſeâ ſuâ ſvadâ auream æternæ felicitatis conciliet libertatem. Gradationis figura uſitatiſſima Illi eſt: ubi de dolore in majorem graditur dolorem. Solis tortoribus dura complacuit metaphora: ubi à propria ſignificatione hominum, ad impropriam ferocium belluarum transferuntur. Quot quot enim vulnera in Sacratiſſimo corpore percipitis oculîs, tot flores purpuratos MAGISTRI Dolorum cenſeatis:ex quibus nō profaniOratores animi,ſed orthodoxi adoratores animæ habent medicinam. Semper per adjectionem verſatur in figuris MAGISTER Dolorum: dum illi ſine numero, ſine calculo verbera cruenta adijciuntur. Sonant verbera, ſibillant flagella, fremunt virgarum palmites, DolorumMAGISTRO crudeliter applaudendo. Auditis à duro tergore refractas vibices, videtis ſparſum innocuo cruore Corpus, ſpectatis denſam plagarum tempeſtatem; attamen omnia patientiſſimè ſuffert ac patitur CHSISTVS innocentiſſimus: ut nos hinc habeamus doctrinam,& Ille MAGISTER Dolorum oſtendatur. Omnia hæc AA. cùm eſsent CHRISTO per ſe gravia,graviora facta ſunt perjuriô & abnegatione Petri. Ille enim cùm ante horas aliquot mundiſſimè lavaretûr,obſoniô lautiſſimè paſceretur, plenus fervoris & favoris, etiam ad dificillima crudelitatis argumenta ſe reſponſurum fuiſse magnanimîs pollicebatur votîs. ſed ubi falſiſſimi ex terminis inſanæ acerbitatis formati, tùm in *celarent*, tùm in

ferio

ferio syllogismi à Petro negandi erant, ille negavit DEUM esse Hominē, vel quòd unitam Homini cofitetur Divinitatem. Ad unam & alteram ancillæ ostiariæ quæstiūculam, ad unius despecti ministelli verbulum, locò reasumptionis & bonæ resolutionis, in falsam, quia fidei oppositam movetur partem Claviger Cæli. Itane Petre amor IESU, qui ceu Phænix ferventissimo ali debebat amore, in aula ad focum refrigescit? itane incautô maleficiô, perjuriô pusillanimi extingvitur? Quid enim Petre dereliquisti MAGISTRUM Dolorum? an perplexa verberum immanium exhorruisti specimina? an parùm calluisti, & cupiebas ex foco calore adimpleri? an etiam stetisti ad focum, ut, quod cōmune est aulisantibus, aliquid proijciatur è tauri pingvis semiustula offula? si sic, ex omni parte fecisti imprudenter. Grave vulnus fuerat CHRISTO vendi ac prodi à Discipulo: gravius deseri à reliquis duodecim virilis Collegij àmicis & alumnis, fugâ timidis, dispersis dissipatis: gravissimū negari à te Petro. Enimverò ignoscite AA. nihil hìc amplificanti: sufficit apud vos, quod video ad uberrimos excitandos fletus, nuda ipsa pessimè & crudelissimè cum CHRISTO gestorum anamnisis. Post tot rigidissimas inauditæ atrocitatis notas, quas mansvetissimè MAGISTER Dolorum toleravit: colloquitur inter se Iudæorum impietas, MAGISTER Dolorum est, & necdum laureâ doloris coronatus: itaq; apprimè Illi convenientem è spinis & paliuris concinnat coronā. Leve & hoc laureatum dedecus dicerem, nisi & scenica & sentosa hæc autoritas, adoratum Cælo terræq; verticē gravissimo dolore sauciaret. Mollibûs rosis floridoq; stratum tramite iter ne quærite deliciis innutriti mortales: Via æterna CHRISTUS spinis & sentibûs strata est, angustum molestumq; callem ad beatæ æternitatis honores indicando. At quanta vestra est immanissimi tortores in mitissimū MAGISTRū crudelitas! non sufficit vobis solidissimis CHRISTū innocentem virgarū catenarūq; oppugnare ictibûs, adhuc laureâ aculeatâ Sacratissimum

 Ejus

Ejus Caput nimìs & atrocissimè gaudetis perforare. Forsitan ideò homines desijstis esse, ut Dij habeamini: ubi humanô privati cerebrô Divinum quæritis, tàm durìs dirìsq; spinarum aculeis Sanctissimum CHRISTI Caput diffodientes. Advertite illibatæ mentes Divina mæstissimi MAGISTRI tempora redimita: aculeìs non corymbìs plena sunt: dolorum sentíbûs non lætitiæ sensibûs abundant. caret quidem ex se laurea gravitate; quià aridìs spinìs constat: sed quòd crudelissimè Divinum laniat Caput, summopere ingravescit. Torpet torpet ipso cogitationis æstu obrigescens memoria, mens admiratione defixa altìs tenetur stuporibûs, verba & lingvam adimit formido. Dicamne profundìs cicatricibûs cerebrum scrutantes aculeos? Loquarne armatum dira impressione Caput? Proferamne benè sudibûs & lignìs violenter intrusos frontis Divinæ vepres? Tace lingva, silete verba, dicat acutìs sentibûs sulcatus vertex, dicant spinosìs ramentìs laniata vulnera, dicat per tempora, per oculos, per supercilia, per genas diffusus cruor, dicat ipsum patiens in Carne Verbum, dicat MAGISTER Dolorum: quantò Ipsi salvationis nostræ constitit laurea. Lubricate, nutate, cadite ex Doctoralibus laureæ verticibus, solius CHRISTI stabilis laurus; quæ durìs cerebro implātata aculeìs, perpetuò Sanctissimi MAGISTRI Dolorum Capiti inhærebit. Iam incteata Sapientia PATRIS, plenū acuminibûs circumfert Caput: jam spinosa Veritas pungit nostros oculos: ut videamus MAGISTRVM Dolorum. Vide Orbis, quàm profundè salutis tuæ cogitatio Sanctissimo inhæsit Capiti, quàm acerbè spinosum sertum Virginis Illibatæ redimivit Filium. Innocentia, quæ compunctione non egebat, sine peccato nata, pro peccatis mundi compungitur. CHRISTVS patientissimus acribûs spinìs laureatur, ut nos mortales sertô Cælestî coronemur. Quid ultra? en Præses Romanus evulsam de vicina pallude arundinem, in vim sceptri inserit manibus CHRISTI, ut Regem Iudæorum denuntiet, & Re-

gi

gi Regum illudat. Quid agis ô acephale & omnis prudentiæ expers Arbiter? Regem nominari jubes, qui est MAGISTER Dolorum. Huic insigne Regnatricis Majestatis porrigis sceptrum, qui modò non regnat patiendo, sed docet mortales, quomodò regnaturi sunt in Cælesti Regione. Potiùs tenuem arundinis culmum vice calami porrige MAGISTRO Dolorum, ut suorum ineffabilium tormentorum mortalibus describat lectionem. Leve pro calamo arundinis pondus erit, ut fessus doloribûs MAGISTER CHRISTVS habeat allevamen. Progredior ad ulteriores hujus Magisterij actiones. Ita barbarie tyrannica concitatis oculis, quid aliud restabat in immanibus Iudæorum cordibus? nisi, ut cùm furiosè furerent, nunquam furere desinerent: nullâ crudelissimâ atrociâ, nullis ineffabilium flagellorum argumentis, nulla laureâ aculeatâ, nisi solâ crucis cathedra exsaturarentur. Aliàs pridem observant MAGISTRVM Dolorũ nõdũ tamẽ ex Cathedra docẽtẽ: itaq; ut enormissimã nefariæ crucis ascendat cathedrã, impijssimè vociferãtur Quid ad ista coronatus Dolorũ MAGISTER? forsitã abnuit spartam propositã? minimè: statim se omniũ iniquissimo subdit arbitrio cathedrã ascensurus. Ascẽdes Doloriosissime CHRISTE ascẽdes funestæ trabis cathedrã, in qua adhuc doloris mortisq; argumẽtô oppugnaberis. Et quod majus, Ipse Tibi cathedrã instar fatalis patibuli, quæ ex crasso ac aliquot annis madefacto constructui ligno, ad arduum montis Cælum tangentis verticem deportabis. Assistet Tibi ingens hominum caterva, altera nænias canentium, altera nequitias patrantium: illa, ut allevet pijssimos humeros in planctu ac singultu imponet Cathedræ: hæc ut magìs aggravet, sacrilegis manibûs in plausu & lætitia tanget. Sulcabit ceu vomer aduncus profundè brachiũ Sanctissimũ hæc dolorum Cathedra; qui sulcus in brachio omnia vulnerum documenta superabit. Procumbes aliquoties in duram siliceamq; viam sub pondere gravissimæ crucis, antequam in tumidum sua altitudine exiveris clivum. Et

ut velociori progrediaris paſsu, ferreô catenarum traheris nexu. Factum eſt ut dixi AA. Tradit CHRISTO gravidũ luctuoſæ crucis ſtipitem Iudæorum infidelitas; quem bajulaturus ſacrîs excipit humerîs: ut in illo nefariam ſalutis noſtræ prædatricem ſuſpendat mortem. Sauciatur atrociſſime cruce anguloſa brachium MAGISTRI Dolorum, ut hoc ſacro vulnere, lethifero animæ humanæ cicatrici medeatur. Corruit in terrã aliquoties CHRISTVS ſub grandi molimine crucis, nos erudiendo, ut potiùs ſub quavis ærumnarum cruce procidamus, quàm illã portare abnuamus. Citiùs trahitur ferreîs concatenatus nodîs, ut velociùs ſolvat æternîs cruciatibûs innodatos. Progreditur in altum verticis culmen, ut elatum inferni devincat bellatorem. Ite & vos ite cruentis CHRISTI inſiſtendo veſtigijs parentales lacrymæ: ſcande Calvariæ clivum ſuſpiriîs altîs gemebunde dolor: citiùs funeſti ad culmen montis properate mærores: jam Laureatus Dolorum MAGISTER montana ſacrîs pedibûs tangit cacumina, horribiliſſimæ crucis cathedram poſseſsurus. Vbi ventum eſt, concretîs in ſangvine & corpori cruentato adglutinatis veſtibûs exuitur CHRISTVS, ut ex ſe, utpotè *verme* in renovandam purpuram iterum ſangvineum producat ſericum, in qua purpura Dolorum MAGISTER ex cathedra crucis non decenter, ſed ignominioſè emineret. Tollitur ad crucem in ipſâ montis excelſi ſummitate innumerîs affectus plagîs CHRISTVS innocentiſſimus, ut totus videat orbis, quæ & quanta pro ipſo ſuſtulit, toleravit. Manat cruore toto corpore patientiſſimus IESVS, ut hoc cruore innocuo, paſſionis Ejus imaginem, in noſtris cordibus depingamus. Hiat undiq; vulneribûs, ut ſpiculô mortis æternæ vulneratos in vitam animet feliciorem. Nudus in abjectiſſimo ſuſpenditur ligno, ut nos olim abjectos, modò Cæleſtì cooperiat indumentô. Per potentiſſimam extenſionem in cruce dilatatur Reparator Salutis noſtræ, ut Illi mors perpetua cedat ubiq́, poſseſſione. Clavîs trabalibûs affigitur cruci. ut Illum noſtræ perpetuò hæſiturum memo-

memoriæ affigamus. Manus sacratissimæ CHRISTI duris perforantur clavis, ut in nostris manibus fortiùs teneamus restitutū æternæ felicitatis globum. Pedes divinissimi transfodiuntur crudelissime, ne nostri pedes ad Cælestem scandendo Regionem, lædantur ad lapidem offensionis. Quid tamen agis ô scelesta, impia, barbaraq; militum cohors? itane moliri scelus non desinis, ut pati non desinat DEVS HOMO? itane Eum infami adnectis patibulo, Qui nos ad Regni Cælestis Solia est evecturus? itane manus illas perforas, quæ Cæli fores reserāt: cruci alligas, quæ nos stygi mancipatos in libertatem aserunt? itane pedes clavis configis, qui salutis publicæ causâ, tot regna, tot diversissimas populis & moribus urbes peragrarunt: qui tot lectissimis vestigiis iter ad astra signaverunt? Sed frustraneis eos detineo verbis, qui sic indomito æstuant furore, ut quidquid eorum impietas, crudelitatum, tormētorum, cruciatuum effingere potest, his omnibus CHRISTVM innocentissimum gaudeant afflictare. Premitur siti ardentissimè MAGISTER Dolorum, novercale poculum felle & acetô myrrhatô mistum porrigitur Illi, ut nos æternæ amaritudinis pocula effugiamus. Fel insigne amaritudinis est, ut MAGISTER Dolorum amarus ostendatur illis, qui omninò respuunt doctrinam Ejus passionis. Acetum insigne attritionis est, ut dura in hac percipienda lectione dolorum atterat mortalium corda. Alumnos hujus Sanctissimi MAGISTRI indagatis? duos nactus est; quos ex utraq; parte nefanda vitæ insolentia in luctuosa trabe sedulos fecit, dispares tamen in audiendo: etiam unum edocet, sibi attendentem: *hodie mecum eris in Paradiso.* Doctrinam Ejus investigatis? hanc nobis dictat Sanctissimus MAGISTER: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*, scilicet instruit nos, ut injurias nobis illatas potiùs dissimulemus, quam ulciscamur, nostrisq; adversarijs libenter ignoscamus. Iam collimat ad finem spinis Laureatus MAGISTER, jam ultimam dolorum tradit Lectionem, cum diro cruciatu in eminenti crucis dolendæ ca-

 thedra

thedra exſpirando, CHRISTVS patientiſſimus [e]xtremis vitæ ſpiritibûs extingvitur, ut noſtra vita ext[...] ſceleribûs illuceat perennatura. Quid ultra? mens [...]et, animus contremiſcit, ut nefanda militum infideli[...] hoc in corde videat, quidquid olim protulit ore MAGISTER Sãctiſſimus, unus eorum aperit lanceâ Divinum pectus. Et dum Cor CHRISTI tranſfigitur, mea lingva videtur torpeſcere. Quare vos tantùm effuſæ Aſtrîs adeſte Cælitum cohortes, & crucifixum Cælorum Principẽ promptîs ſtudîis adorate. Adeſte & vos mæſta mortaliũ agmina, proclamatum MAGISTRũ Dolorũ unanimî colite obſequiò. Adeſte inquam, Ipſe vos Dolorũ MAGISTER invitat ſãctiſſimo deorſum capite inclinato. Extendit latiſſimè in cruce manus, ut univerſos diſcipulos amplectatur. Cor repræſentat apertũ; ut à Corde Illius uti primo vivẽte æternũ vivere inchoent univerſi. Sed ſimul eodẽ corde loquitur MAGISTER Dolorũ has duas cathegorias, unam, quòd Ejus nonniſi ſequaces Diſcipuli, ad Cæleſtẽ Academiã fient candidati, alterã, quòd ãplius humanã non aſsumet carnẽ, ut pro humano genere iterũ patiatur. Oſtẽdit crudeliſſimè laniatũ Sanctiſſimũ Caput, quòd poſteà de homine ſtygijs immerſo undis ampliùs nõ cogitabit. Demonſtrat atrociſsime vulneratas manus, quòd illis pro ſalute hum[a]na iterũ bajulãdã nõ tenebit crucẽ. Repræſentat imma[n]simè diffoſsos pedes, quòd non ibit pluries vitam mo[rta]liũ quæſiturus. Proinde date ſvadeo univerſi huic San[cti]ſſimo MAGISTRO Dolorum, mentis benevolas aure[s] quolibet momento diſcatis ab Illo, quomodò in vos aſsurgentes ærumnarum, cruciatuũ, anxietatũ tolerare procellas, Hic vos edocebit, uti MAGISTER Dolorum, qualem hactenus demonſtravi &

X

D I

I.

~~Chrostkiewicz Jacobi Joannis~~

~~Magister dolorum Christus patiens.~~